

H 1856 - 74

OBSERVATIONVM  
CRITICARVM  
PARTICVLA QVARTA

---

QVA

MEMORIAM

b. IOANNIS GOTTOFREDI LANGII

A. D. XXVI IVN. MDCCCLXXXVII

IN

GYMNASIO ILLVSTRI ELECTORALI

INDE AB HORA IX MATVTINA

PIE RECOLENDAM

HUMANISSIME INDICIT

M. CHRISTIANVS DAVID IAN

ILL. GYMN. RECTOR

---

ISLEBIAE TYPIS HVLLMANNIANIS



Janu. 20. 1856.  
Laffert.



---

## VI.

Flor. II. 2. 30.

M. Fabio Buteone consule classem hostium in Africo mari apud Aegimurum, iam in Italiam ultro navigantem, cecidit. Quantus o tunc triumphus tempestate intercidit, cum opulenta praeda classis, adversis acta ventis, naufragio suo Africam et Syrtes, *omnium imperia gentium*, insularum litora implevit.

**E**narrans capite hoc Florus bellum Punicum primum, memoriae prodit, M. Fabium Buteonem, qui Cos. fuit a. V.  
c. 508 cum C. Atilio Bulbo, in Africam a Romanis cum classe missum, obvios sibi Carthaginenses, qui ipsi Italiam navibus peterent, navalii pugna superasse, sed mox victoriam eam consecutum esse luctuosissimum classis Romanae naufragium. Quae monent adversus hanc Flori narrationem historiae antiquae investigatores, dum illud proelium et a ceteris historicis memorari, et per temporum rationem fieri potuisse, negant, ea, neque huius loci est, neque instituti nostri, vel excutere vel resellere. Potius iam nobis in animo est, emendationem tentare verborum, *omnium imperia gentium*,

A 2

quac

quae verba ita vexarunt criticos, et ab his vicissim vexata sunt, ut essent, summi etiam critici, in his ipse Dukerus, qui locum hunc, pro desperato habitum, plane relinquerent ac deserrent. Corruptum eum esse, facile est intelligere: nam quomodo tandem factum sit, ut ex eo naufragio *omnium imperia gentium* implerentur? Quod quam absurdum esset, primus cum sensisset Graevius, scripsisse Florum suspicabatur, et *omnium ripas gentium*. Sed multis de caussis improbabilis ea suspicio est. Cum enim *ripas* in *imperia* vix mutaverit vel consummatissimus librariorum stupor, tum naufragium non magis implere omnium gentium *ripas*, quam *imperia*, potuit. Accedit, quod *ripae fluviorum* quidem et *maris* dicuntur, *gentium ripae* non item. Tollus proposuit, *omnium promontoria gentium*, vel, *omnium promontiorum gentium, insularum*, vel denique, *omnium in circa gentium*: quorum primum et alterum audacius a vetere scriptura recedit, tertium barbarum, non latinum est. Ingeniosa primo adspicatu Lipsii coniectura est: *omnia, imperitia regentium* (naves), *insularum litora*; sed eadem diligentius perpensa, placere non potest. Primum enim vel sic etiam iusto maior lectioni antiquae vis adfertur: deinde ineptum foret, post *tempestatem adversosque ventos memoratos, incre-*

---

---

crepare imperitiam regentium, certe eius imperitiae mentionem hoc demum loco infercire. Denique Begerus edidit, *omnium imperiorum, gentium, insularum*; qua emendatione nihilo saniorem fieri locum, cum ex iis intelligitur, quae iam dicta sunt, tum ex eo, quod omnino inter *Africam, Syrtes et insulas* interiecta omnium imperiorum et gentium litora, si cui vel mediocris sensus sit, ferre non possit.

Nos quomodo locum consituendum censemus, explicabimus, cum res geographicas, quae huc pertinent, dispixerimus. *Africam* quidem, angustissimo vocabuli sensu, dicebant veteres agrum et regionem Carthaginis \*), quae appellabatur etiam Zeugitana. Plin. V. 4. *Zeugitana regio, et quae proprie vocatur Africa.* Hodie est ora borealis reipublicae Tunetanae, inde a promontorio candido (nunc Ras – el – Abiad) usque ad promontorium Hermaeum sive Mercurii, e regione Siciliae (hodie Capo di Bona). *Mare oram* istam alluens, proprie *Africum* vocabatur. Paullo latiore sensu *Africa* erat Zeugitana cum Byzacio, hoc est, sub-

\*) Carthago dicebatur lingua Punica *Kartha Chadeba*, id est, urbs nova, Neapolis, hebraice Kéréth Chadaischá, cf. Bochart, Canaan. I. 24. Vnde intelligitur origo formae et græcae, Καρχηδών, et latinae, *Carthago*.

iecta illi regione, versus meridiem usque ad Tacapen urbem  
(hodie Gabes) et Syrtim minorem porrecta, quae et ipsa pa-  
rebat Carthagini, urbemque primariam habebat Adrumetum  
(hodie Mohammetta). Sic *Africa* universam, quae nunc  
est, civitatem Tunetanam continebat, eoque sensu nostro lo-  
co accipienda est. De ampliore etiam et amplissima eius no-  
minis vi nunc non opus est dicere. Iam ante sinum Cartha-  
ginis, qui est inter promontorium Mercurii et illud Apollinis  
(nunc Ras - el - Zebib), posita erat *Aegimurus* insula, Li-  
vii memoria superstes (*Histor. xxix. 27.*), sed iam Plinii ma-  
ioris aetate motibus terrae aliisque violentis commutationibus  
ita vastata, ut duo modo, ubi ea olim fuisset, scopuli e mari  
prominerent, qui *Aegimuri arae* dicerentur. Plin. V. 7.  
*Contra Carthaginis sinum duae Aegimuri arae, scopuli ve-*  
*rius, quam insulae. Audores sunt, et has olim habitatas*  
*subseditse. Aras usus Romanus dicebat scopulos e mari*  
*eminentes. v. Virg. Aen. I. 109. ibique Excurſ. Ill. Heyn.*  
Tum *Syrtes* sunt nota illa vada arenosa, in mari ad Africæ  
litora, ac mutabilia insuper, et sic navigantibus exitiosissima.  
Duae autem hæ tales Syrtes sunt, *maior* altera (hodie Golfo  
di Sidre), ad oram occidentalem Cyrenaicae, quae hodie  
Barca est; altera *minor* (hodie Golfo di Gabes), prope Me-  
ningem

ningem insulam, contra quam nunc fines civitatis Tunetanae ac Tripolitanae coëunt. Solam *minorem* a Floro hic designari arbitror, licet et more poëtico, quem sequi solet, et, quod constat, plura subinde dorsa arenosa, in utraque Syrti, nuda ex aquis exstare, plurali numero *Syrtes* dicat. Nam maiorem quoque Syrtim cogitari cum longinquitas vetat; distat enim a minore CCL millibus passuum (Plin. V. 4. Solin. 20.), usque quo vix naufragium pertinuit: tum vero illius versus orientem situs, quo adversi in Italiam navigantibus venti, id est, boreales, agere classem non poterant. Denique in eo maris tractu, inter Syrtim minorem et promontorium Hermacum, omnemque Africæ, hoc est, Zeugitanae et Byzacii, oram, complures erant insulae, Meninx (nunc Zerbi), Cercina et Cercinitis (nunc Kerkenes), Larunesiae insulae e regione Adrumeti, tum Lopadusa (hodie Lampadusa), Cossyra (nunc Pantalaria), et aliae. v. Plin. V. 7.

Itaque, his praemissis, locum sic emendandum censemus: *naufragio suo Africam et Syrtes et omnium interacentium insularum litora implevit*. Primum post *Syrtes* inferimus et, quod neque abesse potest, et facile haustum est ab ultima antecedentis vocabuli syllaba. Deinde cum anti-

quis-

quissimi codicum litteris Romanis, hoc est, maiusculis \*),  
quas versales typographi vocant, idque uno tenore, nullo  
verborum intervallo, scripti sint; ex INTERIACENTI-  
VM facillimo lapsu factum est INPERIAGENTIVM vel  
IMPERIAGENTIVM, mutato T in P, et C in G, cu-  
ius rei exempla plurima reperiuntur. Quemadmodum e-  
nim, antiquissima scriptura, C et G nihil forma differebant;  
unde in legibus XII tabularum legimus CENTILEIS  
(gentiles), LECASIT (legassit, legaverit), FRECIT (fre-  
git), SECETES (segetes), item in columna Duillii, LE-  
CIONES, MACISTRATOS, PVCNANDO, KAR-  
THACINIENSEIS; haud dubie, quod C ubique \*\*),  
etiam ante E et I, ut K durius, G ut K mollius, a Roma-  
nis pronuntiatum esse constat: ita in sequenti etiam tempore,  
ubi distingui coepiae sunt litterae C et G, frequenter tamen,  
ob similitudinem et figurae et pronunciationis, altera in al-  
teram abiit. Sic adigere et adipere (pro addicere, item  
*ad-*

\* ) Est haec scriptura ea, quam in numis et inscriptionibus antiquis videmus, item  
in veruissimis libris, scriptis ante, quam gentes germanicae eulissimas Romanis  
imperii provincias occuparent, sensimque scripturam illam minorem depravan-  
do inducerent, quae vulgaris, minuscula, item Langobardica dicitur.

\*\*) Sibilum litterae C ante E et I, item syllabae TI ante vocalem, Gothorum os  
demum addidit.

*ad dicere) perpetuo confunduntur.* v. *Cort.* ad *Sallust.* b. *Ing.* c. 82. p. 776. *Drakenb.* ad *Sil.* I. 642. Deinde litteras T et P saepe permutatas esse, ob affinem prisca scriptura formam, ut v. c. *pinus* et *tinus*, *pangere* et *tangere*, *imperitus* et *interitus*, *primus* et *trimus*, inter se confunderentur, multis docet *Salmasius* in *exercitatt.* *Plinian.* p. 310. et *faepius.*

Quae omnia ita certam faciunt emendationem nostram, nihil ut iam reliquum sit, nisi ut ostendamus, quam commodus eius ope, quamque aptus et probabilis loco sensus restituatur. Informemus animo Romanos, victoria ad Aegimurum parta, cum in Italiam reducere classem praeda onuslām vellent, tempestate ventisque adversis ab Hermaeo promontorio versus Austrum, usque ad Syrtim minorem rejectos, per totum eum tractum huc et illuc iactatos, atrocissimumque naufragium passos. Necessario sic navium fratarum tabulae atque armamenta, praedaeque Punicae, non solum oram Africæ, id est, Zeugitanae et Byzacii, item Syrtis minoris prominentia terga, sed etiam litora insularum omnium, quae in hoc maris tractu, inter omnem illam Africæ oram et Syrtim iacebant, inde ab Hermaeo promon-

B

torio,

---

torio, contexerunt atque impleverunt. Quod ipsum Florus  
mox variaturus, factum esse ait, ut *Punicae praedae omnibus promontoriis insulisque frustarentur* (ita enim legen-  
dum, noui *frustrarentur*), hoc est, frangerentur, fractaeque  
frustatim natarent et fluitarent.

---


Memoriam b. LANGII cras ab hora IX matutina,  
in primae classis auditorio, duo illius laudatissimi lectissimi-  
que cives celebrabunt ita, ut alter

IOANNES THEOPHILVS TETTENBORN,  
Mansfeldicus, inquirat oratione latina, *utrum fieri possit, ut semper et constanter vir bonus sis?*  
alter

FRANCISCVS BENIAMIN HEIMBACH,  
Hettstadiensis, *hymnum matutino tempori dicat*  
germanice.

Quos ut benevole audiant civitatis nostrae PROCERES,  
et quicumque bonas litteras amant, humanissime rogamus.

D. Islebiae, a. d. xxv Iun. MDCCLXXXVII.





1670

H 1856 74


OBSERVATIONVM  
CRITICARVM  
PARTICVLA QVARTA

QVA

MEMORIAM

b. IOANNIS GOTTOFREDI LANGII

A. D. XXVI IVN. MDCCCLXXXVII



IN  
VSTRI ELECTORALI

ORA IX MATVTINA

ECOLENDAM

SSIME INDICIT

ANVS DAVID IANI

YMN. RECTOR

PIS HVLLMANNIANIS



Franz von Langen  
Gesetzg.